

riorum eripuit, et hominem restituit regno suo, mutavitque in alterum plane virum ita ut simulacra omnia frangeret, et Deum deinceps sincere coleret.

In quo videre est admirabilem Dei bonitatem et longanimitatem, necnon pœnitentiæ vim: quem enim nullæ opes, nulli milites e captivitate poterant eripere, eum pœnitentiâ eripuit.

IV. In eo ludo sæpe minores latrunculi et infirmiores, qui appellantur rustici, manent in theatro, et finiunt ludum, sublatis majoribus et potentioribus, qui appellantur reges. Idem in hac serie generationis, et quidem bis contigit. In primis quando in prima captivitate cum Joakimo nobilissimi quique, et qui de stirpe regia erant, abducti in captivitatem sunt, uti Daniel et tres socii, Dan. I. Deinde, in secunda, junioris Jechoniæ scilicet, in qua Nabuchodonosor abstulit eum rege omnes principes, fortes et nobiles, omnes artifices; reliquit vero solos pauperes terræ, qui vineas et agros colerent. Denique, in tertia, quæ fuit Sedecia, in qua, eversa urbe, omnes translati sunt, exceptis pauperibus, qui nihil penitus habebant; quibus dati sunt agri et vineæ divitum, ut eos colerent, et censum inde Chaldæis solverent, Jerem. XXXIX. et IV. Reg. XXV. Unde pauperes tunc soli possidebant terram Palæstinæ, dominis ejectis; et bene habuerunt, colligentes vinum et messem multam nimis, Jerem. XL. Ita nimirum Deus solet deprimere superbos, et exaltare humiles. Id quod et gentiles agnoverunt, uti Æsopus ille, qui interrogatus a Chilone, quid faceret Jupiter: *Excelsa deprimi, inquit, exaltat humilia*. Quæ Dei providentiâ typus erat iudicii extremi; ubi pauperes spiritus possidebant regnum cœlorum, divites avari in gehennæ captivitatem abducentur. Vide etiam hic, regum lapsum multis nocere, præsertim propinquis et aulicis; siquidem cum regibus semper fere propinqui et nobilissimi quique captivi facti fuerunt; quomodo etiam in ludo latruncolorum rex solus non capitur, uti dixit Ludovicus Crassus rex Franciæ in prælio contra Anglorum regem, ab equite quodam comprehensus et freno tentus, ut se captivum daret. Exempto enim gladio, equitem obtruncat dicens: *At ne in latruncolorum quidem ludo solus rex capitur*, Corozettus, de dictis et factis memor.

V. In eo ludo promoventur sensim minores latrunculi, qui dicuntur rustici, per varios gradus usque ad summum tabulæ gradum, et tunc fiunt reges vel reginæ, et acquirunt potestatem ampliore prædandi circa se, ante et retro, quidquid occurrit. Ita in hac genealogia mire aliqui promoti sunt ex infimis ad summos gradus et digni-

tates. Qualis in primis David, qui ex puero pastoritio paulatim ob virtutes suas ad regiam ascendit dignitatem: magis adhuc S. Joseph, qui ex fabro, Christi nutritius et suo modo pater, ob eximias suas virtutes factus est: multo autem Maria, quæ ex humili conditione et magna pauperie mater Dei effecta, per varios gradus in Dei matrem et reginam cœli promotâ, acquisivit plenissimam potestatem rapiendi ad se eos, qui a facie justis, et qui a tergo peccatores, ei occurrunt, ejusque opem implorant. De justis non est quod dubitemus; de peccatoribus afferamus exempla. Notum est illud in primis B. Mariæ Ægyptiacæ peccatricis, per imaginem Deiparæ ter ab ingressu templi repulsæ, ut alibi dixi. Cui simillimum est, quod recenter an. 1620. in Goensi provincia, Indiæ orientalis contigit in Mozambique homini malæ vitæ, qui audito aliquando die sabbati pulsu campanæ ad *Salve Regina*, in Ecclesia decantari solitum, perrexit eo et ipse: sed ad vestibulum portæ templi repente perdit usum pedum, adeo ut intrare minime posset, cum id sæpius tentasset. Constituit ergo domum redire, sed non potuit, quod pedes plumbo graviores atollere non valeret. Ad vicinum igitur murum se inclinans dum vicem suam delet et miratur, videt ibi vicinam B. V. imaginem ad murum. Huic queritur suam miseriam, et fatetur se ob peccata sua utique impediri ab ingressu ecclesiæ, ad ejus pium canticum audiendum: *Quid igitur, Domina, quid me vis facere? En paratum me*. Dum hæc ille, quidam pater noster casu ei occurrens e vicino collegio, monet ut suæ salutis causam agat cum Deo. Cui ille: *Verum est, pater, debeo confiteri*, et hoc emisso proposito, sensit sibi restitutas ad ambulandum vires. Fecit ergo confessionem patri a tredecim annis, quibus confessus non fuerat, jussitque, ut pater hoc collatum ei beneficium undique divulgaret. Ita scribit in annis Goensibus, Hieronym. Majorica Romæ impressis, an. 1627. En propter exiguum devotionis opus sibi præstitum B. Virgo hominem pene in faucibus Satanæ constitutum eripit, et in statum salutis reponit. Et jure quidem obtinet hoc privilegium Deipara: si enim apud Romanos olim vestales virgines hoc juris habuerunt, ut quoscumque reos, qui ipsis obviassent, absolvere a vinculis et vita donare possent (teste Cœlio, libro XV. capite XIV.); non habebit hoc Dei mater, ut ubi supplices eripere a morte æterna possit?

VI. Denique, cum ludus ille finitus est, omnes latrunculi de tabula auferuntur, et in sacculum injiciuntur; ubi inter se promiscue jacent, nec amplius ratio habetur, quis rex aut rusticus fuerit. Ita contingit huic genealogiæ, si temporalia

spectemus. Dum viverent hi progenitores Christi, magna inter eos discrimina erant: alii iudices, alii reges, alii principes, alii plebei, alii divites, alii pauperes. At nunc per mortem omnes de tabula sublatis sunt, et in communem matrem terram reconditi, ubi promiscue jacent, nec unus ab alio discerni potest. Ubi nunc sceptrâ regum illorum? Ubi reginæ? Ubi aulæ? Ubi opes et deliciae? Ubi robur Davidis? Sapiencia et pompa Salomonis, horti, musici, palatia, equi, currus, piscinæ, gynæceum, opes et deliciae? Quemadmodum Judæi post ultimum exterminium omnes æquati sunt, ut jam inter eos nemo sit pontifex, nemo sacerdos aut levita, nemo rex, nemo propheta, nemo iudex, nemo dominus, nemo princeps aut nobilis, sed omnes æque abjecti sunt (id quod indicabat femur Jacob, Genes. XXXII. cum emarcuit); ita patres illi per mortem omnes pares facti sunt. Intra in cœmeterium, et vide ossa mortuorum, ac discerne, quis nobilis, quis ignobilis, quis dominus, quis servus fuerit; et invenies cinerem esse, qui omnes adæquat. At superna bona et solida spectemus: soli ii splendent, qui virtutibus excelluerunt, uti patriarchæ, David, Josias, Ezechias, præ omnibus vero Deipara. Fæct e contra malorum fama, Salomonis, Roboam, Joram, Ozia, Jechoniæ. Quare omnes illi reges multo plus gloriæ mutantur a B. Virgine, tametsi pauperis fabri conjugæ, quam hæc ab illis. Imo sicut stellæ a sole, ita illi a Deipara splendorem acceperunt. Dele solem, et stellæ nihil erunt. Videamus ergo ut cognati siamus Mariæ; quod fiet, si in ejus sodalitate, quasi in spiritali ejus genealogia, peculiari eam cultu veneremur: tunc enim et nos ejus beneficio fulgebimus, sicut stellæ in perpetuas æternitates.

CONCIO III.

BEATA VIRGO CASTITATIS, HUMILITATIS ET PAUPER-TATIS MAGISTRA.

Mundo iaveterando provisâ et prævisâ instauratrix Maria. — I. Magistra castitatis contra mundi immunditiam. — II. Magistra humilitatis contra mundi superbiam. — III. Magistra paupertatis contra mundi avaritiam.

THEMA

Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram.
Prov. VIII.

Magnum quid legitur in hodierna missa de B. Virgine, nimirum eam conceptam fuisse, antequam mundus conderetur. Ita enim libr. Prov. legit et applicat ipsi Ecclesia verba illa Sapientis:

Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret: et mox: Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram. Quid hoc, et quæ ratione prædicari de Matre Dei potest? Præclare id explicat Andreas episcopus Jerosolymæ, cum ait, Deum ante mundum conceptum prævultisse eum tandem per peccata inveterandum. Itaque ante ejus creationem providisse illi de conservatrice et quasi reparatrice, quæ est Maria. Qui enim suæ domui bene provisum vult, in ea sibi parat pharmacorum apothecam, dum sanus est et juvenis; quia cogitat fururum aliquando ut ea opus habeat, in morbis et senectute. Prævidit ab initio Deus, fore aliquando, ut mundus consenescat, nec aliter nisi peccatis: voluit ergo ante omnia providere ei de pharmaco, quo ejus morbo, debilitati et senectuti cura adhiberetur. Hoc vero quidnam sit, edisserit nobis prædictus Andreas episcopus in sermone de annunt. cum ait: *Senio quasi confectus mundus, per Mariam peccatorum senectam exiit*. Porro Sanctus Augustinus, in libro de doctrina christiana scribit, omnino delicta senescente mundo potissimum regnare, et quidem illa ipsa, quæ fere in senescente homine regnunt. Primum est turpitudine, alterum fastus, tertium avaritia. Turpitudine enim, licet juventuti propria sit, tamen illos, qui juventam in voluptatibus et libidinibus triverunt, non deserit in senio, sed aliquando ardentius invadit. Fastus, quia cum honorem canis suis deheri putent, plus æquo illum affectant et ambiunt. De avaritia ait S. Augustinus, in sermone CCXLVI. de tempor. *Nonne in frigidis senibus (avaritia) tanto acquirendum ferventius inardescit, quanto citius relictura est quod acquirunt, mirabili sane dementia?* Eadem hæc in senescente mundo vehementer invaluerunt; et vigere nostro misero sæculo sat superque videmus. Tribus hisce morbis providit ac prævidit Deus præclarissimam medicatricem Deiparam, quæ tribus antipharmacis ab ea præparatis et a nobis usurpandis, illos expugnaret.

I. Primum est castitas et virginitas, quæ in Deipara admiranda fuit. Primo enim, virginitatem amplexa est eo tempore, quo hæc virtus non ignota tantum, sed et exosa fuit: sola fecunditas Dei benedictio putabatur, uti contra sterilitas probrum, quasi ob aliquod delictum parentibus inflata. Erat infecunditas, quasi arbor in horto sterilis aut ager infecundus, nullo in pretio. Secundo, tanto hujus virtutis amore exarsit, ut non solum virgo semper vivere, sed virginitatem etiam Deo votare voluerit. Per votum autem præter ipsum actum datur etiam potentia, scilicet voluntas seu libertas præter fructum arboris,

ipsa etiam arbor. Qui actum virtutis exhibet, obsequium unum præstat: qui votum, perpetuo se ejus obsequio addicit. Tertio, prima omnium fuit, quæ virginitatem perpetuam voverit. (Unde Ecclesia canit: *Sola sine exemplo placuisti*) sicque adamavit eam, ut potius Dei maternitati, præcise considerata, juxta Divum Bernardinum Sennensem, sermone de conceptione, renuntiare parata esset, quam virginitati. Nondum legerat id Matth. XIX. *Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt; nec id Pauli, I. Corinth. VII. Qui non jungit (virginem suam matrimonio) melius fecit; nec id Apocalyp. XIV. Sequuntur Agnum quocumque ierit, virgines enim sunt.* Et licet in v. t. vitam cœlibem egerint aliqui, uti Elias, Elisæus, Jeremias, tres pueri; nulli tamen ex voto leguntur ad hoc sese obligasse. Maria hujus militiæ primum vexillum erexit, cujus asseclæ sunt tot millenæ ss. virgines. Unde Ecclesiæ primævæ mos erat, ut virgines Deo se dicaturæ promitterent castitatem in nomine Mariæ, teste Basilio, Athanasio et Epiphanio. Ad eandem attraxit sponsum suum Josephum, quem non alia lege accepit, nisi ut virgo cum virgine viveret; siquidem jam desponsata dixit: *Virum non cognosco.* Voluit ergo Maria Virgo sponsum habere virginem, nunquam acceptura illum nisi virgo permansurus esset; cumque per mortem illum perdidisset, non alterum custodem, nisi Sanctum Joannem, virgo scilicet virginem a Christo accepit. Denique, hac sua virginitate traxit Dei Filium in uterum suum, qui noluit habere matrem, nisi virginem, et quidem talem; non secus ac virgo dicitur attrahere rhinoceronem, nulla alia arte domabilem, ut deponat caput in sinum ejus, ut scribit S. Gregorius, lib. XXXI. moral. capite XIII. S. Isidorus XII. etym. cap. II. Refrigit in hac ultima mundi ætate vehementer castitatis et virginitatis amor: extra monasteria rarus est flos virginum: contra vero invaluerunt supra modum vitia carnis, juxta id Os. IV. *Maledictum et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit; scilicet per incestum, ut Rupertus exponit.* Jam ergo quomodo non erubescunt neque resipiscunt qui impudice vivunt? In primis enim vident se sanctissimæ Dei Matri e diametro contrarios et dissimillimos esse. Qua igitur fronte apparere, vel coram ejus imagine, vel audire ejus nomen possunt? Hispalam, scortum Romanum, Bacchi sacris devotam, accersitam a Sulpitia, matrona castissima, aspectum ejus subterfugisse, et productam pene exanimatam fuisse, scribit Lælius, libro XXXIX. Considerent jam impudici homines, quales et quam fœdi sint, si Deiparam aspiciant. Deinde, quo jure possunt expectare patrociniū ab ea, cui tam dissimiles tamque contrarii sunt? Maria Ægyptiaca,

adhuc impudica, cum Jerosolymis in die exaltationis s. crucis, ingredi templum ad videndam Christi crucem vellet, ab imagine Deiparæ, ad ingressum templi stante, ter quaterque divinitus repulsa est, aliis omnibus sine difficultate intrantibus. Territa igitur videt tandem imaginem B. Virginis, eamque alloquens: « Domina Virgo, (inquit,) agnosco me peccatricem esse indignam, quæ te Virginem sanctam adorem, et vel oculis te aspiciam, quæ mente et corpore sanctissima et castissima es, adeoque digne a te projici. Tamen, quia audio Filium tuum venisse, ut peccatores salvos faceret, patefac et mihi januam: quia promitto emendationem, etc. » Quo dicto, nemine porro obstante, in templum admissa est. Refert Sophronius episcopus Jerosolymit. in vita. De Sancto Lamberto episcopo Trajectensi scribit Stephanus episcopus Leod. apud Lipel. 17. sept. ipsum in convivio Pipini regis Galliæ nullo modo adduci potuisse, ut ejus pellici, Alpaidi, poculum benediceret aut propinaret, vel discendens eam salutaret. Quin et ejus machinatione admisit, corpore jam mortuo; si qua vero pellex accederet, mox quasi turbine quodam exagitata retrocedere compellebatur: unde apparebat quam invisæ esset castissimo viro impuritas.

II. Secundum est humilitas, quæ in Maria etiam admiranda fuit. Cum enim cœlesti nuntio salutata est ab angelo: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus,* turbata est in sermone. Putabat enim talia præconia minime ad se pertinere; ideo nec responsum dedit. Ad hæc post intellectam confirmationem tantæ gratiæ, nequaquam insolescere cœpit aut in altum tolli, sed in terram potius se prosternens, fundumque humilitatis petens: *Ecce ancilla Domini,* ait. Ecce dum ab angelo adeo extollitur et a Deo sic honoratur, ipsa adeo sese deprimit. Parum est se humiliare, cum quis deprimitur; plurimum, dum honoratur. Secundo, post tantam exaltationem, ne suæ humilitatis oblivisceretur, præclarissimum humilitatis actum designavit, pergendo in montana ad cognatam, major ad minorem: cui et serviit per tres menses. Ibi ab Elisabetha cum beata prædicaretur, stupente illa tantæ matris dignitatem, omnem laudem a se in Deum transtulit, dicendo: *Magnificat anima mea Dominum.* Tertio, vocata edicto Cæsaris in Bethlehem, sine mora paruit; et cum portaret Regem regum in utero, neminem hospitio expulit; sed potius exclusa omnibus cessit, et extra urbem in stabulum concessit, ibique ad quadraginta dies in summa abjectione permansit. Quarto, in purificatione non se aliis feminis prætulit, sed quasi

immunda foret, cæteris puerperis immiscuit. Quinto denique, licet a Judæis sæpius cavillis impetita esset propter filium, quod esset eonjux fabri eorum concivis, quæ nihil peculiare in se haberet (cum tamen quatuordecim reges in sua prosapia numerare posset); nihil tamen illis cavillationibus commota fuit. Toto reliquo vitæ tempore, licet tam multa et magna de ejus Filio dicerentur, jamque orbis universus in eum credere, velut Deum suum, inciperet, ipsa tamen nihilo elatior, in priore humilitatis statione permansit. Subtiliter id videtur indicare voluisse Lucas, Act. I. cum eam apostolis cæterisque sanctis postponit dicens: *Erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Maria matre Jesu;* siquidem sciebat Lucas, quod ipsa semper postremum locum sibi deligeret. Quis jam non erubescat coram Deipara se extollere? Quis unquam sic honoratus est ut ipsa? Quis talia dona, tales virtutes habet? At ipsa in tanta dignitate humi graditur, et tu, qui nihil simile habes, in curru aureo vehi velis? Augustus imperat. cum Julia ejus conjux modesto habitu et comitatu, et Livia ejus filia, superbo luxu et juvenum impudicorum agmine vallata (non sine populi commotione, ob discrimen Augustæ et filiarum orta) in ludorum spectaculo starent, commonefecit filiam scripto, circumspiceret quanta morum imparitas inter duas dignitate pares feminas foret, insolentiam ejus taxans, Macrob. lib. II. Saturn. cap. V. Videant nunc superbi se et Dei Matrem, quanta inter hanc et ipsos sit disparitas: erubescant et se corrigant.

III. Tertium fuit paupertas, quæ itidem in Deipara fuit plane admiranda. Primo, quia in tam nobili virgine, maxima; uti colligitur partim ex sponso ejus, fabro; partim ex angusta ejus domuncula, paterna sibi hæreditate relicta; partim ex stabulo Bethlehemitico; partim ex pauperum dono, quod obtulit pro Filio in purificatione. Duram autem valde esse nobilibus paupertatem, quis est qui nesciat? Secundo, modicum id quod habuit, amore Filii sui libenter et mox deseruit; domunculam scilicet una cum supellectile, quando ei de nocte surgendum et repente migrandum fuit in Ægyptum. Multi quidem parum habent, sed id parum perditæ amant. Tertio, nullas etiam opes concupivit, quas cum a Filii potentia mille modis habere et impetrare posset, respuit. Scivit eum ex aqua vinum posse facere, et quidem excellentissimum, copiam piscium ingentem capere, thesauros incomparabiles comparare; nihil tamen unquam tale poposcit. Quarto, dona trium regum magnifica vel non admisit integre, sed delibavit tantum ob mysterium, vel admissa mox

papperibus distribuit, ut vult Sanctus Bonaventura, in vita Christi; siquidem in purificatione munus pauperum obtulit, non divitum. Quinto, in Ægypto inter ignotos, hostiles ac gentiles, quantam, putatis, passa est paupertatem per septem annos, cum nihil in eam intulerit? At ubi hoc sæculo tantus paupertatis amor? Quis auream Nabuchodonosoris statuam non adorat? A minimo usque ad maximum omnes illam venerati sunt, præter Hebræos adolescentes. Sic a minore usque ad majorem omnes avaritiæ student, ait Jeremias, cap. VI. nimirum sicut anseres in prata, omnes carpunt. Solem olim et lunam adorarunt Ægyptii, Persæ et Græci: Christiani nunc aurum et argentum adorant; illud eorum sol, hoc luna est; duo magna mundi luminaria! Nihil tam munitum quod asello auro onusto non expugnetur: pauper pulsatur januam judicis, et expectare jubetur: at quamdiu? Pulsatur dives, et mox admittitur. Jam vero cum vident avari Deiparam, paupertatis tam amantem, quomodo non confunduntur? Beatus Petrus Damiani adhuc secularis, cum ad eum venissent duo fratres ab eremo Fontis Avellanæ, discedentibus obtulit argenteum scyphum, pro munere, rogans ut eum abbati suo ferrent. Illi autem vasis amplitudinem cernentes, pondus incusant, viæ longioris impedimentum prætendunt (addit Augustinus Fortunius Camaldul. ord. recusasse, quod nec eorum abbas in argento biberet, nec monachis fas esset aurum vel argentum secum habere;) cumque ille precibus instaret, aiunt illi: « Si ergo nos tantopere cogis, nec tuo vacuos prorsus munere abire permittis, præbe hujusmodi quidpiam aliud, quod nos absque viæ dispendio levius pro tua devotione ferre possimus. » Quod ille audiens, vehementer admirari secumque dicere cœpit: « Qui sunt isti, qui cum videantur egeni, adeo quæ sunt mundi despiciunt, ut in optimo vase ferendo vel minimum assumere laborem contemnant? » Quare super hac re plurimum ædificatus, ad contemptum mundi aspiravit, tandemque fratribus illis per ingressum ordinis se junxit, ita Joannes monachus ejus discipulus, in vita. Si ergo hoc exemplum paupertatis duorum eremitarum tantum potuit ad alliciendum Petrum, non poterit plus exemplum Deiparæ? Sane rex etiam Monomotapæ videns respui a Consalvo Silveria s. n. ingentem auri copiam, plurimos boves sibi oblatos, vehementer admiratus et ad religionem christianam amplectendam incitatus fuit, tom. II. annal. soc. Deinde, qua fronte possunt divites despiciere egenos, quos Deiparæ fratres et sorores debent agnoscere? Dic enim, quæso, si Dei Matrem sedere in cœtu pauperum mulierum

videres, habitu, vestitu et vultu ipsis quam simillimam; num tu, ea insalutata, transire velles? Non arbitror. Salutare igitur et honorare velles? At quomodo non ob illam et cum illa, simul etiam alias ei adstantes simillimas? Si enim pauperem aversaris, deo quia pauper est, necessario etiam Dei Matrem aversari debes, quia et ipsa talis fuit. Denique, ipsi pauperes quantum consolationem habent, quando cogitant ipsam Dei Matrem sibi similem fuisse, et forte ipsis pauperiorem! Diogenes Cynicus, aliquando ab omnibus desertus et in summa egestate constitutus cogitare cœpit de vita illa, quam cœperat, pauperissima deserenda; dumque panem mucidum rodit, ecce musculus accedit, et decedentes micæ colligit comeditque. Tum subridens, animo recepto, lætior et tranquillior secum: « Mus hic, inquit, nihil indiget Atheniensium laetitiam: et quid tu, Diogenes, ægre fers te cum Atheniensibus non cœnare? » Sicque in vita illa misera seipsum confirmavit, Ælian. lib. XIII. cap. XXVI. Laert. lib. VI. Cogitate vos, o pauperes, habere vos Deiparam, vobis nihilo ditiores; quæ nequaquam opus habuit hujus mundi lautitiam, licet ipsi deberentur; et vos carere non poteritis? Vidimus ergo morbos et debilitatem senescentis mundi: vidimus et pharmaca, quibus illi occurramus, subministrata nobis a Deipara; superest jam ut his utamur. Ad quid enim medicus et pharmacopola in orbe, si eorum consilia et opem negligamus? Deus est, qui ante conditum mundum providit nobis medicatricem illam magnam ejusque medicinam; et non fruamur illis? Nonne dici nobis posset id Jeremiæ VIII. *Numquid resina non est in Galaad? Aut medicus non est ibi? Quare ergo non est obducta cicatrix filiae populi mei?* Excelluerunt in arte medica et chirurgica Galaaditæ et Arabes, ob sua aromata et simplicia, herbas videlicet, ligna et fructus, quos habebant præstantissimos. Quæ præstantior medicatrix Virgine Maria? Ubi aromata et simplicia meliora virtutum reperiemus? Is ergo qui non curatur, non ascribat medico aut medicinis, sed tibi ipsi, qui hæc respuit, quia perire vult. Quod a nobis omnibus avertat Deus.

CONCIO IV.

QUALIS SIT HIC LIBER GENERATIONIS CHRISTI.

Liber generationis Jesu Christi qualis. — I. Est liber nomenclaturæ. — II. Est liber stemmatum. — III. Est liber heroum. — IV. Est liber rationum. — V. Est liber censuum. — VI. Est liber mortuorum.

THEMA.

Liber generationis Jesu Christi. Matth. 1.

Duos sibi e diametro contrarios reges reperio, auditores, in hodierno evangelio, et quidem patrem et filium, Josiam et Jechoniam. Josias pater cum librum legisset casu repertum et Dei comminationes in eo contentas audisset coram se legi, *perterritum est cor ejus*, et scidit vestimenta sua ac flevit. Unde dictum ei a Deo est, non visurum ipsum mala gentis suæ, sed quieturum in pace, uti factum est, IV. Reg. XXII. et II. Par. XXXIV. E contra filius Jechonias, cum audisset coram se legi librum Jeremiæ, divinas item continentem minas, iratus sacrum volumen cultello conscidit, et in igne misit ac combussit, Jer. XXXVI. Sed non impune; nam a Nabuchodonosore captus et occisus, ante muros Jerusalem in ferarum pabulum abjectus, et *sepultura asini* sepultus est, juxta prædictionem Jerem. cap. XXII. Proponitur et nobis hodie sacer Dei liber, liber, inquam, generationis Jesu Christi, et legitur coram nobis. Contingere potest, ut quis inveniatur qui cultello linguæ suæ eum laceret et dicat: Ad quid mihi iste liber? Quid enim doctrinæ continet? Ad fornacem potius calefaciendam, quam ad cor meum accendendum facit. Absit hoc a nobis, absit ut imitemur pessimum, Jechoniam: Josiam potius sequamur, et demisso atque attento animo audiamus, quis et qualis sit hic liber. Forsitan non deerit causa corda nostra scindendi et miserias deplorandi.

I. Est liber nomenclaturæ seu vocabulorum. Quid enim reperimus aut legimus in hac genealogia, de tot ducibus et regibus, nisi sola eorum nomina? Ubi regna et possessiones? Ubi pompæ? Ubi tituli? Ubi sepulcra, epitaphia? Ossa eorum non commemorantur, quia nesciuntur; sola nomina remanserunt. Ferunt regum cadavera ad sepulcra magno cum apparatu; sed ubi ad sepulcrum pervenitur, spoliantur omnibus, deseruntur ab omnibus, ac sola eorum nomina remanent marmoris incisa. Memorat Athenæus, lib. XIV. et Strabo, I. XIV. Sardanapalum, regem Assyriorum et Ninives, a Jona (ut probabiliter colligit Cornelius a Lap. in c. III. Jonæ, vers. VI.) correctum, in morte docuisse quod in vita nescierat; monumentum enim sibi posuisse, in quo

statua quædam consertis digitis, quasi sonum editura videretur. Quo symbolo aiunt significatum id, quod S. Gregorius Nazianz. in odis ait: *Omnia esse strepitum manus plaudentis*, seu quod Psal. IX. dicitur: *Perit memoria eorum cum sonitu*. Deinde, sæda nomina non ponuntur in vocabulorum libro; similiter in hac genealogia nomina trium posteriorum Jorami, scilicet Ochosiæ, Joæ et Amasiæ tacentur: quia parens Joram miscuit se impiæ et gentili Jezabeli, cujus filiam Athaliam accepit in uxorem. Ita nimirum vitia parentum obscurant ac delent nomina filiorum, sicque verificatur id Sapientis, Proverb. X. *Memoria justis cum laudibus, et nomen impiorum putrescet*. Denique, in illo puerorum libro quædam nomina ad faciliorem captum illustrantur imaginibus: in isto solus David depingitur appellatione regis, et quidem bis, cum tamen plures eum sequantur reges; quia scilicet David per virtutem suam ascendit ad dignitatem regiam, alii per natales suos, quod laudem non habet, sed felicitatem. Hinc cum princeps quidam Urbano IV. papæ obscuritatem natalium objiceret, respondit pontifex: *Non est artis nasci nobilem, sed fieri per virtutem*, in dict. memor. Joan. Boteri.

II. Est liber stemmatum. Ostendit enim stirpem Christi ab humili loco exaltatam, et sensim iterum depressam. Cœpit ab agricolis ac pastoribus, et ascendit ad regium sceptrum; tum paulatim iterum descendit, rediitque ad pastoritium baculum, et fabrilem securim. Joakim enim, avus Christi maternus, fuit opilio; Joseph dictus pater ejus, faber lignarius. Immo stemma Christi, per incestum ex parte Thamar, et per fornicationem ex parte Judæ, propagatum est. Unde duo colligenda sunt: primum, ut nemo insolescat ob prosapiam avorum, cum ex iis multi tractarint æque forsitan ligones et secures. Hinc Plato, apud Senecam, epist. XLIV. aiebat: *Nullum non regem ortum ex servis, et nullum non servum e regibus*. Alterum ut nemo erubescat ob suos natales et majores, quantumvis obscuros, viles aut etiam sceleratos; præsertim si dicere possit quis cum Cicerone: *Ego mea virtute meis majoribus præluxi*. Etenim in hac Christi genealogia, non illi celebrantur, qui duces fuere vel reges, sed qui sancti et justis; uti S. Joseph, Abraham, Isaac, Jacob, David, tametsi vili loco nati essent. Nimirum: *Summa apud Deum nobilitas est, clarum esse virtutibus*, inquit Hieronymus, epist. XIV. ad Celantiam; et Deus per virum sanctum, I. Reg. II. dixit: *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Patuit hoc in puero Samuele, quem virtus et Dei cultus nobilitavit, extulitque ad principatum su-

per Israel; cum tamen ejus filii, quod virtutum ejus hæredes non essent, manserint ignobiles; quia scilicet libertate abusi, judicia perverterunt.

III. Est liber heroum. In primis enim genealogia Christi non contexitur per stirpem matris; quia hoc apud Judæos aliasque gentes usitatum non erat, ut ait Sanctus Hieronymus, sed per stirpem patris, scilicet per Josephum; quia notum erat Josephum et Mariam secundum legem ex eadem familia fuisse. Deinde, patres tantum progenitores Christi recensentur, non matres, nisi per accidens aliquando, cum scilicet matres modo extraordinario viris junctæ fuerant, quales erant, Bethsabea, Ruth, Rahab. Solus Christus ex matre prognatus describitur, quia sine viri opera natus. Moneatur ergo nobiles, et qui suis genealogiis gloriantur, ut sint filii virorum, non vero mulierum; patrum, non matrum, ne commaculent genus suum. Sane, quando Saul maxime iratus fuit filio suo Jonathæ, propter amicitiam ejus cum Davide contractam, appellavit eum *filium mulieris*; *Fili mulieris virum ultro rapiens*, I. Regum XX. quasi diceret: Ignave et effeminate filii, mulieris amatores sectantis. Sardanapalo Assyriorum regi subditi parere noluerunt, quod inter mulieres semper hæreret, colloquentes; ubi adeo effeminatus factus est, ut cum bellum ei ex conjuratione inferretur, latebras primo, instar mulierum, circumspiceret, deinde, cum paucis et incompositis in aciem progressus, victus ut in regiam se receperit, denique, una cum omnibus rebus suis in pyram ardentem conjececit; unde datum illi nomen Sardanapali, hoc est, morionis, cum alias Assyrio nomine vocetur Tonosconcoleros, Justin. lib. I. et Herodotus, in Clio. Narsei, duci Justiniani imp. adeo doluit ab impetratrice se ad colum et fusum ablegatum fuisse, ut propterea totam Italiam turbarit, apud Æmil. I. I. Quod si tanta ignominia est virum nobilem ad colum ablegare, longe major est, ad eam cum feminis sedere, non virilia ac nobilia tractare.

IV. Est liber rationum. Numerat enim primo, tres tesseradecades, primam ab Abraham usque ad reges, quasi democraticam; secundam sub regibus, quasi monarchicam; tertiam post reges usque ad Christum, quasi aristocraticam, sub ducibus et pontificibus. Et hoc primo, ut insinuet tempus Messias, expleta tertia tesseradecade, advenisse, completis ter quatuordecim generationibus. Hæc faciunt quadraginta duo generationes; et totidem erant mansiones Hebræorum in deserto ad terram sanctam. Secundo, populum etiam Israeliticum, Deo aliquando dilectum, eundem semper statum tenere non potuisse, sed mutatio-

ni obnoxium fuisse: ac sicuti medicorum iudicio dies decima quarta critica est, in febribus et morbis periculosissimam variationem pari solita; ita respublicæ sub diuturna pace sensim incipiunt languere ac corrumpi, veluti aquæ stagnantes. Tunc eas mutare incipit Deus, et in aliam formam transire. Quare non mirandum, si tandem regna et dominia transferantur ac mutantur, quia languere incœperunt. Sic Assyrium regnum in Persicum, Persicum in Græcum, Græcum in Romanum transiit, Romanum a Latinis ad Græcos, ab his ad Francos, ab illis ad Germano translaturum, ut sciamus nihil sub sole stabile esse. Secundo, numerat inter reges, plerosque malos, paucos admodum bonos. Inter omnes reges Hebræorum, Num. XXXIX. dicuntur tantum tres peccatum non fecisse, Eccli. XLIX. intellige peccatum idololatriæ: ita ut nec tolerarint illud scilicet David, Josias, Ezechias. Boni vix supra quinque fuerunt, sicque solum decima pars inter eos probata fuit; ut non omnino de nihilo dixerit Lutherus, principes esse *carnem ferinam in celo*. Adstipulatur ei morio F. Claudii imp. qui dixit: *Se omnes imperatores bonos in annulo suo exculpturum*. Hæc nimirum lubrica sedes regum est, representata per thronum, quem fecit sibi Salomon *de ebore grandem*, III. Reg. X. Quis autem nescit sedem eburneam esse lubricam, unde facile excidas?

V. Est liber censuum seu reddituum. Recensentur enim in eo aliquot pauperes; recensentur et multi reges principes, alique divites: non tamen isti ex hoc mundo plus secum abstulerunt, quam illi. Huc pertinet illud Ecclesiasticis VI. *Quid habet amplius sapiens a stulto et quid pauper (plus scilicet a divite) nisi ut pergat illuc ubi vita est?* Saladinus potentissimus Ægypti Sultanus testamento jussit interulam, cui involvendus esset post mortem, perticæ appensam, per castra circumferri cum hoc præconio: *Ex tantis opibus tanta virtute partis Saladino, terroris gentium, nihil quod se comitetur, reliqui esse*, Platina in Cælestino III Barbarus is fuit; Christianum videamus. Ludovicus XI. Franciæ rex aliquando aulam suam lustraturus, culinam forte ingressus, unicum puerum veru gyranthem vidit. Rogat ergo rex, cujus sit, et qui vocetur. Respondet, a regione Aquitanie esse se, et vocari Stephanum. Quærit iterum rex, quid lucretur suo servitio? Respondit puer æque multum ac ipse rex quem sibi loquentem non ignorat. Quomodo? ait rex. Quia, inquit, habeo sustentationem meam æque ac ille: et si rex moriatur, nihilo plus secum efferet, quam ego. Placuit ea responsio regi, fecitque puerum brevi suum cubicularium, ut refert Petr. Mat-

thæus, in vita. Interrogate, quæso, reges hujus genealogiæ, quos ampliores redditus habuerunt, quam pauper aliquis quicumque. Respondebunt, nihilo plures, quia victum et vestitum, quem habuit et pauper cætera aliis cessisse, nec plus se hinc, quam pauperrimum quemque extulisse. Quorsum ergo tam multa cœquiritur avari? Et cur inflatur unus super alterum? Quis intulit in mundum plus quam alter? Quis efferet amplius?

VI. Est liber mortuorum, baptizatorum (ut solet) libro annexus. Matthæus expressit librum baptizatorum verbo *genuit*. Lucas librum mortuorum verbo *fuit*: *Qui fuit Jacob, qui fuit Isaac, etc.* Matthæus introducit, in mundum, Lucas educit. Speciatim vero inciduntur hic aliqui reges, qui miro fortunæ lusu ad gloriam evecti, et post vel in captivitatem abducti sunt, vel alias misere perierunt: uti Salomon a mulieribus eversus, Ozias leprosus factus, Jechonias in captivitatem ductus et post occisus, frater ejus Sedecias exoculatus a Nabuchodonosore, Ochozias rex Israel per cancellos cœnaculi lapsus et mortuus. Ita nimirum mundus ludit cum regibus, sicut lupus ludit aliquantisper cum puerulo, quem raptum in silvam asportavit; saltat enim aliquamdiu circa eum, et quemadmodum catus murem, projicit in altum, cadentemque dentibus excipit, ad extremum vero devorat: sic ludit mundus cum quibusdam hujus genealogiæ regibus. In libro illo, non dignitatis, sed temporis, quo quisque mortuus est, ordo servatus, nec idcirco reges diutius vixerunt, quia in dignitate regia fuerunt; quomodo inter calices vitreos in abaco constitutos, non ille, qui stat loco inferiori, sed prior ille frangitur, qui prior in terram cadit, cum omnes sint æque fragiles. Quando igitur liber iste docet nos tam manifeste mundanæ gloriæ vanitatem, sit nobis liber salutis in cautelam et instructionem. Osculemur eum, ea ratione et reverentia, qua sacerdos in fine evangelii librum osculatur: scindamus non vestimenta, sed impedimenta omnia, quæ nos a Deo avocant, ut ita beneficio hujus libri inscribamur in librum vitæ.

CONCIO V.

BEATA VIRGO LUNÆ COMPARATUR.

- I. Splendorem a Christo accipit, et in eum refundit.
- II. Præcellit meritis et virtutibus omnes sanctos.
- III. Maximum in celo et in terra dominatum habet.
- IV. Purissima est ab omni macula.
- V. Quandoque quasi per eclipsim non rectis oculis nos aspicit.

THEMA.

Quæ est ista quæ progreditur, pulchra ut luna?
Cant. VI.

Tam gratum et salutare sidus mundo est luna,

ut ea deficiente non modo viventia, sed etiam inanimata multa una cum ea deficere ac contabescere, ad ejus vero reditum atque exortum omnia instaurari et reviviscere videantur; adeo ut Plinius, l. II. cap. XCIX. dicere non dubitarit ipsam esse quasi *rerum omnium spiritum*. Quare ad ejus exortum exultant quodammodo variæ creaturæ: lychnis lapis edit sonum modulatum: clopias piscis, qui ea decrescente nigrescit, recrescente albescit: cynocephalo oculorum orbis dilatantur: ibis infesta serpentibus, in interlunio abstinet, in novilunio rursus comedit, ut scribit Anastasius Sinaita, l. V. hexam. tom. I. bibli. sanctorum patrum. Denique, elephants exorientem lunam, ramis proboscide arreptis et sublimelatis, gregatim in supplicationis modum uniti quasi venerantur et salutant, teste Eliano, l. IV. histor. anim. c. IX. Quod luna est orbi terræ, hoc est Mater Dei orbi christiano, quæ et ipsa a Spiritu sancto lunæ comparatur, Cant. VI. ut in themate audivimus. Hæc porro cœlestis, imo ut sic dicam, supercœlestis luna hodie in mundum progressa, hodie exorta est. Jure igitur merito, quotquot sumus, Christiani hodie exultamus, quia et cum hac luna quasi renascimur et instauramur. Ne igitur vel bestiis vel inanimatis creaturis stupidiores dici possimus, eamus congregati, et obviamus huic nostræ lunæ, eamque salutantes paulisper contemplemur.

I. Luna suum lumen ac splendorem accipit a sole, et refundit, teste Plinio, l. II. c. IX. *Omnem suæ lucis haustum, inquit, eo regerit, unde accipit*. Maria etiam Virgo omnem suam gratiam, dignitatem et splendorem a Filio suo qui est *sol justitiæ*, accipit, a quo Mater Dei esse cœpit, uti fateatur ipsa verbis illis: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*, Luc. I. Tanta vero est hæc dignitas, ut major creaturæ conferri non possit, quam scilicet esse Dei parentem. Ptolomæus, primus Ægypti rex, dicere solebat: *Videri sibi omni regno pulchrius regis esse patrem*. Et de matre Alexandri magni, Olympiade, refert Justinus, l. XII. eam quidem a majorum suorum stirpe antiquissima et regia clarissimam; nullum tamen dotis causa (uti, l. XVI. refert idem) fuisse clariorem quam filius, cujus nomine facta sit omnium clarissima. Quemadmodum enim capsula, quæ aromata ac unguenta continet, odorem ab eis concipit eundemque retinet, etiam dum vacua est; sic etiam parentes ex filiorum, quos genuerunt, claritate, et ipsi incalescunt, atque eo magis quo origo et progenitores sunt clarissimarum sobolum. Quod si tanti esse parentem regis, quanti est esse Matrem Dei? Hinc ergo omnis splen-

dor et ornatus lunæ nostræ Mariæ, a sole scilicet et Filio. Jam uti luna suæ lucis haustum regerit in solem: ita et Maria omnem suam dignitatem refundit in Filium, in cujus æque ac Patris ejus laudem, cum *beata* appellata fuisset ab Elisabetha, cecinit hymnum ac dixit: *Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari* (hoc est Jesu) *meo*. Quamobrem? *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Quasi diceret: Quia me cœlestis sol respexit et luce sua perfudit, ideo magnificat anima mea Dominum et exultat in eo. Sic egit etiam Anna illa Samuelis mater, quæ ubi filium, qui sacerdos et propheta futurus erat, singulari Dei beneficio nacta fuit, ut acceptum beneficium in Deum referret, carnem illi cecinit eucharisticum: *Exultavit cor meum in Domino*, et (hoc est quia) *exaltatum est cornu meum* (hoc est gloria mea) *in Deo meo*. Quia scilicet confusio sterilitatis ab ea sublata erat et substituta fecunditatis gloria, ut tanti filii mater esset. Hinc ergo in modum, quoties beneficium aliquod, speciale præsertim, quoties honorem, quoties gratiam aliquam accipimus a Deo toties in ipsum refundere eam decet, eique laudes canere; uti docet sponsa, quæ a sponso dilaudata: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es*, statim laudem hanc in sponsum refundit subjiciens: *Ecce tu pulcher es dilecte mi, et decorus*, Cant. I.

II. Luna post solem cætera astra omnia pulchritudine et splendore superat: Maria quoque, uti in terris meritis et virtutibus eminentissime præcellit omnes alios sanctos; ita et in cœle præcellit gloria et honore. Utriusque eminentiæ testem habemus inter alios beatum Pet. Damian. card. prioris quidem in sermone de assumptione Virginis, cum ait: «Pulchra ut luna. Quæ in pulchrius cum stellis coruscantibus in signatissimo limite reliquorum siderum splendorem excedit? Considera quam stellaris et serena vibratio, quam luminosus fulgor circularem orbem tanti sideris superfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter offuscet. Sic et Virgo inter animas sanctorum et angelorum choros supereminens et evecta, merita singulorum et titulos omnium antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant, luna tamen et magnitudine præeminet et splendore: sicutramque naturam Virgo singularis exsuperat et immensitate gratiæ et fulgore virtutum: posterioris in serm. I. de navitate ejusdem: «Summa gloria est post Deum videre Virginem; adherere illi et in illius perfectionis munimine commorari.» Hinc sanctorum capitibus media luna pro diademate imponi solet a pictoribus, Beatæ vero Virginis infra pedes subjici; quo ostenditur coronam et merita sanctorum summa, in Maria esse infi-